

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Orationem Paschalem Qva Decet Pietate Avdiendam Officiose Et Hvmaniter Invitat

Tietze, Immanuel

Lipsiae, [1714?]

VD18 13541307

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200482)

autore & hofp. Olano



Act. II, 24



Resuscitationem Iesu Christi ex mortuis, factam a Deo oratione sublimi, et ponderibus verborum graui, nobis delineauit Petrus Apostolus, ὃν, inquit, ὁ Θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὀδύνας τῆ θανάτου, καὶ ὅτι ἐκ ἧν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτῆς. *Quem Deus resuscitauit, soluens mortis dolores, prout fieri non poterat ut ab ea detineretur.* Summa autem orationis deuotioni & modum resuscitationis describit, & fundamentum eius factae in ipsa necessitate eius demonstrat.

vid. Corn. a
Lap. in Act.
II & rel. ap.
Le Moyn.
Obs. ad V.S.
p. 292.

Ad modum resuscitationis spectant verba ἀνέστησε λύσας τὰς ὀδύνας τῆ θανάτου, *suscitauit soluens dolores mortis.* Quae verba scrupulum mouerunt eo eruditis quibusdam interpretibus, quod, cum mortis dolores ad resurrectionem vsque non perdurauerint, in ipsa morte, quae vltima vitae sentientis linea est, expirantes; proclue non sit exponere, quomodo mortis dolores resurrectione soluti fuerint. Qua ratione eo se passi sunt induci, ut istis verbis descensum Christi ad inferos, damnatorumque ergastula, in quibus infernalibus tormentis ad resurrectionem vsque obnoxius fuerit, respici, mallent existimare. Neque parum illi sententiae suae fauere existimarunt antiqua exemplaria quaedam, quae ὀδύνας αἰδῶς, *dolores inferni*, pro ὀδύνας θανάτου, *dolores mortis* substituunt, quale Barnabam Apostolum euoluisse Grotio dictum, in cuius tamen Epistola cum tale legatur nihil, probabile fit, Polycarpum Grotium nominare voluisse, in cuius epistola ad Philippenfes ea lectio occurrit, quam Irenaei etiam codices prae se tulisse oportet, apud quem legimus, *quem excitauit solutis doloribus inferorum*, & Capreoli Episcopi Cartha-

L. III. c. 13.

Cartha-

Carthaginiensis, qui *inferorum parturitiones* ex hoc loco repraesentat, & Augustini in Epist. XCIX, *infernum & dolores* ex hoc loco commemorantis, fauentibus etiam Interpretibus antiquis, Syro, Arabe & Vulgato, atque ex codicibus qui a recentioribus Criticis inspecti fuere codice Petri Fraxardi, & duobus a Rob. Stephano visis. Sed, ut taceamus *descensum Christi ad inferos*, cuius in symbolo Apostolico edimus professionem, rectius ad *victoriam* Iesu Christi, quam ad *passiones*, a nostris fere referri Theologis: neque satis liquere quomodo post mortem suam, qua *consummatum* sibi esse opus suum magna voce in cruce exclamabat, (*τετέλεσται*) & post quam ipsa ea die Paradisum sibi adeundum latronem poenitentem docebat, infernales carceres ad subeunda ibi damnatorum tormenta adire potuerit Christus; Haec inquam ut taceamus, certe *ἀδης* eodem sensu quo *θανάτος* accipi potest, & ex usu Graecorum plerumque accipitur, pro ipso scilicet statu mortis, hoc est statu animae a corpore solutae, ut nihil ex ea lectione solidi argumenti pro explicatione allegata valeat peti. Longe rectius igitur statuere eos existimem, qui phrasin Apostoli *ἀδης θανάτος* ex stylo Prophetico Veteris Testamenti petitam esse, Petrumque ad hymnum Dauidis respexisse arbitrantur, quo patientem Messiam inducit, conquestum inter alia de *חבלי מות* Ps. LXXIX, 5. quibus circumdatus, & quasi constrictus fuerit. Eam phrasin Graeci interpretes, quorum versione Lucas, Historiae Apostolorum autor, solitus est uti, verterunt ipsis verbis *ἀδης θανάτος*, quae Petro Lucas tribuit. Hebraica vero vox *חבל* utriusque capax est significatus, ut & dolores notet, & funes, neque diuersam punctationis formam in numero plurali per *Saegol* vel *Patbach*, significatum vocis vel mutare vel restringere putandum, maxime cum Ps. etiam CXIX, 61. *חבלי* funes significare oppido sit probabile. Et ex intentione quidem Dauidis in Ps. XVIII funes significare vocem, vel Synonymica lex suadet; cuius perpetua, ut in aliis scriptis antiquis, ita in Psalmis inprimis est observatio. Nam quod priori versus hemistichio dicitur aequiuoce *חבלי* h. e. siue dolores siue funes inferorum circumdederunt me, id altero hemistichio sublata aequiuocatione explicatur: *anteuerterunt me laquei mortis*. Et sane Hebraicum *סכבני* circumdederunt me, magis proprie in laqueos quam in Dionys. de Ravis de Origin. Hebr. xap. p. 16. dolores competit. Senestamen LXX. Graece haec interpretati vocem *ἀδης* adhibuere, non quod dolores intelligi hic vellent, sed quod con-

Const. L'Em-
pereur notis
ad institut.
Mos. Kimchii
p. 99.

constanti lege id obseruarent vt voci Graecae, quae vno aliquo signifi-
catu Hebraicae voci responderet, reliquos etiam Hebraicae vocis signi-
ficatus tribuerent, quod infinitis exemplis eruditi viri demonstratum de-
dere, absque ea obseruatione parum felici successu in Hebraeorum ἐλ-
ληνίζοντων scriptis incedi posse obseruantes. Sic cum מָצָא & victoriam
& aeternitatem significet saepe LXX εἰς νῆκτα verterunt, vbi ipsos, nisi
stupidos plane dixeris, idem intellexisse facile videas, quod vocibus in
aeternum exprimimus. Sic Lucas igitur Euangelista, optime illius styli
gnarus, ὡδὴν θανάτου dixit, funes mortis intelligens. Quod vel ver-
ba cum nomine illo iuncta suadent. Quod enim λύσας habet, certe
significatus eius vocis, solutionem notantis, rectissime in funes demum
competit. In quos aptissime verbum κρατεῖσθαι etiam quadrat, quo
Christum detineri & quasi distringi a funibus mortis non potuisse significa-
tur. Hanc mentem Lucae iuxta cum stylo Hebraeorum ἐλληνίζοντων
rectissime affecutus Syrus interpres, vocem ὡδὴν apud Lucam Syria-
co vocabulo ܡܠܚܐ est interpretatus, quam & alibi adhibuit, vbi de
χωνίῳ funibus sermo est vid. Joh. II, 15. Act. XXVII, 32: quod etiam
Aethiops secutus est Maasara lamet h. e. vincula mortis apud Lucam in-
terpretatus. Ad Locum igitur hymni Dauidis respexit Lucas, vterque
vero elegantissima allusione ad mores sepulturae animum intendit, Lu-
cas simul resuscitationis modum & argumentum tetigit. Moris nem-
pe erat non apud Orientales tantum, sed omnes fere gentes ὀδονίῳ, siue
περίαις i. e. linteis, fasciisque, quas δεσμὴς vincula vocat Moschopulus,
mortuos inuolui & ita sepulcris inferri. Otio abuterer si ex Antiquitatum
scriptoribus qui de sepultura veterum commentati sunt ex instituto,
quales passim prostant, pluribus rem apud omnes notam explicare velim.
Quod ad rem nostram proxime facit, de ipso Christi corpore ex animi A-
postolus eius Ioannes, καὶ ἔδησαν αὐτὸ inquit ἐν ὀδονίῳ, ligauerunt illud
fasciis, hoc est vinculis mortis. Ita de Lazaro, eiusdem generis fasciis
inuoluto, loquens Basilii Seleuciensis, τὰ τῷ θανάτῳ σύμβολα, signa vel
symbola mortis appellat: quae angelum apud feminas, sepulcrum subin-
gressas, locum vbi repositum fuisset corpus Christi digito monstrantem,
Ioann. XX, 6. ostentasse, dubium non est. Quemadmodum de Petro sepulchrum
Christi rimanti id expresse notatur, eum obseruasse τὰ ὀδονία κείμενα,
linthea sepulcralia proiecta. Quibus exsolutum iam Christum apud Iu-
daeos

dacos conuertendos gloriatur, ob oculos quasi habens illa *mortis vincula*, quae sepulcrum eius ingresso, oculis suis oblata essent, laetum *factae solutionis* argumentum & symbolum. Nempe ita viuificatus a Deo Iesus Christus fuerat, vt vita ei reddita, motibusque iam editis vitalibus, haec vincula corporis eius membris defluerent, ipsumque mortis non captivum abhinc, sed triumphatorem esse, testarentur.

Sed ad *fundamentum* resurrectionis factae festinemus, quod in ipsa eius *necessitate* ponit Petrus, *ἐκ ἧν δύνατον*, inquit, NON ERAT POSSIBILE, *vt detineretur a morte*. *Causas* vero illius *necessitatis* paucis investigare operae pretium. Eas non vnus generis deprehendo, alias in ipsa indole personae & officii Christi, alias in iustitia & immutabilitate Patris coelestis, alias in nostra aduersus Christum obligatione, quae conditio facta salutis est, positas.

Personam Christi intuentes *diuinam* in eo adoramus naturam, quae humanam per hypostasim suam secum vniuit. Qui vero illa natura, quae cum vitae fonte & principio indiuulso nexu vnita est, a morte penitus potuisset absorberi? Qui fieri possit, vt, quod in symbolo Athanasiano profiteamur, *vnus Christum absolvente natura diuina & humana, vt vnus hominem anima & corpus absoluunt*, a Persona eius integra natura diuellatur? Quis, cum alias *viventium Deus sit Deus*, naturam per hypostasim sibi unitam morti relinquere possit penitus opprimendam? Quin potius humana natura in hypostasi diuina *ἀρχαίως* subsistente, non maior vinculis mortis in eam vis quam Samsonis vinculis ad eum ligandum esse potuit. Et, qui suspendi potuit ad tempus diuinae naturae ad animae corporisque tuenda vincula influxus, ita suspendi tamen non potuit, vt semel contracta inter vtramque naturam coniunctionis relatio plane periret.

Officium autem porro Christi si spectemus, Sacerdotalis officii virtute *primum* seipsum per spiritum suum aeternum obtulit *sacrificium*, quo quidem Iustitiae diuinae abundantissime *satisfaceret*, expiationem consummaret, & aeternam praestaret *ἀπολύτρωσιν*, atque ita sponcione, qua in aeterno consilio pacis pro nobis, reis ac debitoribus, spondit, seipsum exsolueret. His praestitis praestandis, nihil amplius iudicio diuino, cui ex toto satisfecit, debuit, ex quo *dimissus* proinde est, iuxta E. ECLIII, 8. *factae Theologiam: δικαιωθεὶς h. e. iustificatus & absolutus in iudicio, per 1. Tim. III, 16.*

spiritum suum aeternum, hoc est diuinæ naturæ virtute, valorem præ-
tii & satisfactionis animæ ab ipso effusæ addente, vt Paulus Apostolus
docet. Mortis vero vincula ad vim atque vigorem (עצ) iudicii diui-
ni cum spectent; obnoxius eis amplius Christus esse non potuit, post-
quam ius contra eum agendi plene præstita satisfactione omne cessauit.
Hinc Apostoli argumentatio: si Christus non resurrexit inanis est fides vestra,
adhuc estis in vestris peccatis: Qui scilicet ex eo, quod Christus mortis ad-
huc vinculis detinetur, non colligere non possitis absolutionem in iu-
dicio diuino nondum esse impetratam. Sed & intercessio sacerdotalis
ratione officii sui Christo incumbit, Pontifici nostro. Notabilis vero
est Apostoli doctrina, in sublimi illa quam ad Hebræos scripsit episto-
la docentis, Christum, in terris hæc si foret, sacerdotem esse non posse,
quanto minus igitur sacerdotis munus in visceribus terræ, mortis vin-
culis, detentus potuisset obire! Scilicet, vt sacerdotali deprecatione
desungi posset, Sanctum Sanctorum, quod non sepulchrum, sed coe-
lum, esse, Apostolus in epistola allegata docet, lacerato carnis eius
velo erat adeundum, vbi oblatione facta sacrificii sui sacerdotali pro
nobis intercessione deprecaretur. Non mortis igitur eum detineri
vinculis oportebat, sed semper viuere oportebat ad deprecandum pro nobis,
absque quo non poterat plane seruare eos qui per ipsum adeunt Deum.
Porro Iustitia & immutabilitas Patris, cui obediens factus est vsque
ad mortem, necessitatem illam rumpendorum mortis vinculorum,
quibus teneri amplius haut posset, inducebant. Iustitia quidem, quæ
præstita satisfactione nihil posset exigere amplius, & absolutionem
atque dimissionem ex iudicio diuino vrgebat, vnde διναμις Θεός & διναμις
Iesus Christus, hoc est sententia Iudicis iure absolutus, diuinis scripto-
ribus audit. Immutabilitas vero Dei necessitatem illam plane in-
vincibilem reddit, siue vt in decretis, siue vt in promissis immutabilem
Deum consideremus. Decreti diuini de Christo ad resurrectionem eius
spectantis mentionem discrete facit diuinus ille ὑπαγόγος: Narravi decre-
tum Iehouæ qui mihi dixit, Tu filius meus es, hodie ego genui Te. Quod
ad eius resurrectionem spectare decretum discrete Paulus docet, vbi
promissionem Patribus factam impleuisse Deum ait in Iesu, dum ex mortuis
eum suscitauit, quemadmodum in Psalmo secundo sit scriptum, filius meus
es Tu, ego hodie genui Te. Quod Sociniano sensu non est accipien-
dum,

Heb. II, 4.

Heb. VII, 25.
ib.

Pf. II, 7.

Aët. XIII,
32. 199.

dum, quasi Paulina interpretatio aeternam filii generationem ex essentia Patris, in generationem metaphoricam per resurrectionem mortuorum vertere doceat; sed eo sensu, quem res ipsa loquitur; ut scilicet resurrectionem Christi vere factam solidius firmaturus Apostolus, fundamentum eius verum ex Psalmo alleget, in ipsa aeterna generatione & communicatione essentiae, quae sit principium vitae, positum: cui conueniens scilicet decretum ab aeterno sit factum, de Christo in morte non relinquendo: quod, ut in se pariter ac ratione fundamenti sui est immutabile, ita nunc executioni Deum dedisse Apostolus ostendit. *Decreti igitur diuini vis immutabilis vincula mortis superauit, fregit: Quae secundum decretum factorum promissorum etiam immutabilitati resistere non poterant; illis autem praedictum fuerat, animam Christi apud inferos, h. e. in statu mortuorum, non esse* Pf. XVI, 10. *relinquendam, neque corpus eius visurum corruptionem: regnum ipsi posita anima promissum aeternum, & semen diuturnum.* At coelum & terram citius peritura quam apicem ex hisce promissis vnicam intercidere posse nouimus, fierique adeo non potuit, ut a morte Christus noster detineretur.

Sed & in nostra, aduersus Christum obligatione, quae conditio facta nostrae salutis est, eius necessitatis causa est posita. Fidem in eum Euangelium requirit, non impossibilem certe conditionem, qualem exigere, neque bonitas, neque veritas, neque iustitia sua Deum exigere sineret. At ipse Apostolus, absque eo quod Christus resurrexit non posse non fidem nostram esse *μωραία*, inanem, hoc est eam cui nihil solidi subsit, fatetur. Peccata nostra morte sua Christum expiasset, mortisque fractis stimulis, vitam restituisse, credendum. Qui vero persuaderi hominibus potuisset, expiata peccata, triumphatum de morte esse, plenum morte imperium, quae vim & stimulum accipit a peccato, exercente in eum, quem satisfactoris & triumphatoris partes obisse edoceantur? Quid opponi, absque resurrectione Christi si esset, Iudaeorum poterat incredulitati: *alios seruauit, seruet seipsum, descendat de cruce, Dei filius si sit, tum credemus in eum.* 2. Cor XIII, 4. *Εξ ἀδυναμίας h. e. Ex infirmitate in cruce suspensus animam exhalauit Christus.* Potentiae opus saluatio est. Quis saluatorem igitur agnoscat infirmitati succumbentem? *uiuere* scilicet eum oportebat,

Rom. I, 4.

bat, quem fides nostra amplecteretur ἐκ δυνάμεως Θεοῦ ex virtute
atque potentia Dei. Mortis vinculis constricto illo Israelis redem-
tore, iam sibi excidisse conceptam de patrandā per eum redemptione
spem Cleophas eiusque amicus fatebantur. Eam quid reuocare
spem, quid desperantes erigere potuisset, ad vitam eo non reuoca-
to? Volo redemptionem a politica seruitute, & instaurationem Re-
gni Israelis temporalis, aquilas Romanorum inuersas, prostratas
phalanges, animis eorum esse obuersatas. At ei qui sufficere cada-
uer exanime vt crederent animum non poterant inducere, quomo-
do frangendis & dissipandis infernalibus opibus, profligandis princi-
patibus potestatibusque, & mundi potentibus tenebrarum huius se-
culi, spiritibus malitiae par esse crederent? Scilicet ita ὁρίσθηται digi-
tis quasi monstrari Christum filium Dei oportebat, ἐξ ἀναστάσεως τῶν
νεκρῶν, per resurrectionem mortuorum, ἐν δυνάμει, dum ita vitae diuinæ
potentia in eo sese exereret, si credi in mundo, si ea ἀποστολῆς autoritate,
quae ad fidem efficacis esset, annunciari deberet.

Iam itaque fides nostra triumphali παρρησίᾳ exultat, cum scia-
mus mortis vinculis qui detineri non potuit Redemptorem nostrum viuere,
qui facti non tantum testimonia, sed necessaria principia causasque
teneamus. Sic vicit Leo de tribu Iuda. Sic vincit fides nostra eius
auspiciis nixa. Imo in ipso iam vicit, qui non sibi sed nobis vicit,
nobis quicquid est praedae peperit, distribuit. Hunc Proceres viri-
usque Reip. amplissimi, nostraeque ciues ornatissimi, Leonem de tribu Iuda
victorem, victorem pro nobis, non indiferta oratione, quo gaudia
vere Paschalia alat, vobis sistet Vir Iuuenis clariss. M. IO. HEINR.
FISCHER, Gera-Variscus. Cui ex umbone templi Paulini ipsa feria
magna Hora XII recitandae, vt beneuolas deuotasque aures af-
feratis, est quod humanissime & reuerenter oramus.

B. V. P. in Vigiliis festi Paschal.

A. cl. lxxxiv.

L I P S I A E,
LITTERIS IMMANVELIS TITII.